



Liber Genesis hebraice Beresith.

Caput i.

De mundi creatione, rerum creaturarum distinctione et ornatu, deque hominis formatione, cui subiecit Deus omnia quae creaverat.



DN principio creavit Deus
"caelum, et terram.

2. Terra autem erat
inanis et vacua, et tenebrae erant super
faciem abyssi : et Spiritus
Dei ferebatur super
aquas.

3. Dixitque Deus : ^b Fiat lux. Et facta
est lux.

4. Et vidit Deus lucem quod esset bona :
et divisit lucem a tenebris.

5. Appellavitque lucem Diem, et tenebras
Noctem : factumque est vespere et mane,
dies unus.

6. Dixit quoque Deus : Fiat firmamen-
tum in medio aquarum : et dividat aquas
ab aquis.

7. Et fecit Deus firmamentum, divisitque
aquas, quae erant sub firmamento, ab his,
quae erant super firmamentum. Et factum
est ita.

8. Vocavitque Deus firmamentum, Caelum :
et factum est vespere et mane, dies
secundus.

9. Dixit vero Deus : Congregentur aquae,
quae sub caelo sunt, in locum unum : et
appareat arida. Et factum est ita.

10. Et vocavit Deus aridam, ^d Terram,
congregationesque aquarum appellavit
Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.

11. Et ait : Germinet terra herbam virentem,
et facientem semen, et lignum pomiferum
faciens fructum juxta genus suum, cuius
semen in semetipso sit super terram.
Et factum est ita.

12. Et protulit terra herbam virentem, et
facientem semen juxta genus suum, lignumque
faciens fructum, et habens unumquodque
sementem secundum speciem suam. Et
vidit Deus quod esset bonum.

13. Et factum est vespere et mane, dies
tertius.

14. Dixit autem Deus : Fiant luminaria
in firmamento caeli, et dividant diem ac
noctem, et sint ^c in signa et tempora, et
dies et annos :

15. Utluceant in firmamento caeli, et illu-
minent terram. Et factum est ita.

16. Fecitque Deus duo luminaria ma-
gna : luminare majus, ut praesset diei :
et luminare minus, ut praesset nocti : et
stellas.

17. Et posuit eas in firmamento caeli, ut
lucerent super terram,

18. Et praesent diei ac nocti, et divide-
rent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod
esset bonum.

19. Et factum est vespere et mane, dies
quartus.

20. Dixit etiam Deus : Producant aquae
reptile animae viventis, et volatile super
terram sub firmamento caeli.

21. Creavitque Deus Cete grandia, et
omnem animam viventem atque motabilem,
quam produxerant aquae in species suas,
et omne volatile secundum genus suum. Et
vidit Deus quod esset bonum.

22. Benedixitque eis, dicens : Crescite,
et multiplicamini, et replete aquas
maris : avesque multiplicentur super ter-
ram.

23. Et factum est vespere et mane, dies
quintus.

24. Dixit quoque Deus : Producat terra
animam viventem in genere suo, jumenta,
et reptilia, et bestias terrae secundum spe-
cies suas. Factumque est ita.

25. Et fecit Deus bestias terrae juxta spe-
cies suas, et jumenta, et omne reptile terrae
in genere suo. Et vidit Deus quod esset
bonum,

26. Et ait : Faciamus Hominem ad ^e imagi-
nem, et similitudinem nostram : et praesit
piscibus maris, et volatilibus caeli, et
bestiis, universaeque terrae, omnique reptili,
quod movetur in terra.

27. Et creavit Deus hominem ad imagi-
nem suam : ^f ad imaginem Dei creavit illum,
^g masculum et feminam creavit eos.

28. Benedixitque illis Deus, et ait :
^h Crescite et multiplicamini, et replete

a. Ps. 32, 6.
135. 5.
Eccli.
18, 1.
Act. 14.
14 et 17.
24.

b. Hebr. 11,
3.

c. Ps. 135.
6 et 148,
4.
Jer. 10,
12 et 51,
15.

d. Job. 38,
4. Ps. 32,
7 et 88,
12 et 135,
6.

e. Ps. 135,
7.

f. Infr. 5, 1
et 9, 6.
1 Cor.
11, 7.
Col. 3,
10.
g. Sap. 2,
23.
Eccli.
17, 1.
h. Matth.
19, 4.
i. Infr. 8,
17 et 9, 1.